



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 98. Quid possit circa resignationes beneficiorum recipiendas & resignatorum collationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

omnes illius fructus concedere ei, qui in concursu iudicatus dignior. Fagn. *in c. illa. b. t.* Nequit etiam alteri clerico seculari commendare beneficium regulare, nec contra; cum nec ipse Episcopus id possit. Azor. *loc. cit.* ex Rebuff. *pr. benef. tit. de devolut. num. 83.*

3. Resp. tertio: De cetero beneficia, etiam non eurata, Capitulum, etiam seclusa reservatione, commendare non potest commendatione propria seu perpetua, quia talis commendatio æquivalet collationi; quin & ipsi Episcopo interdicta à Trid. *Sess. 24. c. 18.* Castrop. *loc. cit.*

Quest. 98. Quid possit Capitulum Sede vacante circa resignationes beneficiorum recipiendas & resignatorum collationes?

1. **R**esp. primo: Potest recipere resignationes simpliciter factas beneficiorum spectantium ad solius Episcopi collationem alteriusve inferioris collatoris. Barbof. *loc. cit. num. 96.* citans Zerol. & Riccium. Sbroz. *de offic. Vicar. p. 2. quest. 71. num. 12.* Paris. *l. 7. quest. 23. num. 20.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 28.* Castrop. *loc. cit. num. 15.* Garc. *p. 11. c. 3. n. 26.* Pavin. *de potest. Capit. Sed. vac. p. 2. quest. 2. à num. 11.* alique apud me *qu. 533.* contra Laym. *in c. cum olim. de major. & obed. n. 11.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 74.* Rebuff. Quarant. &c. apud Dian. hoc nixos fundamento; quod talis receptio resignationis sit gratia & remissio obligationis. Dum alii nituntur contrario, nempe quod sit inter spectantia ad jurisdictionem Episcopalem, in qua succedit Capitulum, exceptis casibus à jure exceptis; quin & receptio talis sit necessitatis, non voluntatis; cum iustis de causis beneficiarii sua beneficia sic deponant. Neque etiam dici possit alienatio, cum Capitulum hoc ipso, quod recipiat resignationem, non conferat beneficium. Proceditque hæc secunda sententia, non tantum, quando dimissio seu resignatio beneficii sit in pœnam, (in quo casu admitti posse resignationem à Capitulo concedunt adversarii,) sed & de omni alia voluntaria resignatione ob generalitatem datæ rationis. Possit etiam Capitulum receptionem beneficiorum resignatorum committere alteri (intellige, non suo Vicario) tradit Paris. *loc. cit. n. 34.*

2. Resp. secundo: Non tamen potest Capitulum beneficia, quorum resignationes admittit, conferre. Castrop. Barbof. Paris. *LL. cit.* quia prohibitum Capitulo conferre beneficia spectantia ad collationem solius Episcopi liberam, qualia esse non desunt, dum vacant per resignationem liberam, non factam in manibus Papæ. Neque magis necessaria est talis collatio respectu Episcopi, quam si vacarent per mortem beneficiati. Castrop. *cit. num. 15.*

3. Resp. tertio: Potest Capitulum præstare auctoritatem permutationibus, seu recipere resignationes factas permutationis gratiâ, dum ea aliâs spectant vel ad collationem Capituli solius, vel ad collationem Episcopi aut alterius & Capituli simul; cum admisso permutationis sit actus jurisdictionis, spectans ad rectam diæcesis administrationem. Castrop. *loc. cit. num. 18.* Paris. *loc. cit. num. 31. juncto num. 37.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. quest. 4.* Barbof. *loc. cit. num. 34.* Garc. *p. 11. c. 4. à num. 75.* Secus est de beneficiis spectantibus

ad Episcopi vel alterius solius collationem. Dian. *loc. cit. resol. 29.* citans Meroll. Barbof. *loc. cit.* citans Riccium, Castrop. *loc. cit.* contra Laym. *loc. cit.* Wamel. *Tom. 1. conf. 13. num. 10.* Chok. *de permut. benef. c. 8. num. 6.* Azor. *loc. cit. c. 28. quest. 4.* censentes posse Capitulum recipere resignationes factas permutationis gratiâ, non tamen beneficia permutata conferre, non secus, ac Episcopus potest recipere resignationem beneficii reservati Papæ, non tamen potest illud conferre. Verumtamen vel ex hoc ipso hæc sententia arguitur inconsequentia, & opposita stabilitur; cum, qui conferre nequit permutata, etiam eorum resignationes recipere nequeat; siquidem permutationum quilibet ea conditione, & non aliter resignat beneficium, quam ut sibi conferatur beneficium alterius. Capitulum autem illa beneficia conferre nequit. Fernof. *cit. quest. 25. n. 4.* Dian. Barbof. Castr. Garc. *LL. cit.* innixi generali aliquoties jam repetita regulâ; quia talia beneficia ad liberam Episcopi collationem spectant. Etsi enim beneficia permutata necessariò conferenda sunt permutantibus, hiq; compellere possint eum, qui eorum resignationem admittit, ad conferenda ea sibi; quia tamen hæc necessitas non aliunde, quam ex libera acceptance permutationis facta non ab alio quam Episcopo provenit, is sibi ipsi eam injicit, collatio dicenda est absolute libera, & non nisi necessaria necessitate consequente. Dum autem dicitur Capitulum conferre posse, quæ sunt collationis necessaria, intelligendum id est, non de conferendis necessariò hac necessitate consequente, sed de conferendis necessariò necessitate absoluta & antecedente, nimirum Episcopo imposita ab aliis; & consequenter vetita Capitulo illa collatione, non potest non esse ei vetita receptio permutationis, etsi ea dicatur esse actus jurisdictionis. Vide hæc pluribus stabilita à me, *quest. 533. à num. 4.*

Quest. 99. Quid possit Capitulum Sede vacante circa beneficia unienda, dismembranda, extinguenda, alteranda?

1. **R**esp. primo: Non potest sibi unire beneficium: quia nullum beneficium potest supprimere in sui utilitatem. Barbof. *loc. cit. num. 99.* Laym. *in c. cum olim. de major. & obed. num. 11.* Castrop. *tr. 13. d. 6. p. 12. §. 2. num. 13.* Garc. *p. 12. c. 2. num. 68.* An possit unire aliis piis locis vel beneficiis beneficia, dum per hoc nihil juribus aut jurisdictioni Episcopi decedit, controvertunt AA. Affirmativa sententiæ, quam tenent Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 31.* Laym. Castrop. *LL. cit.* Garc. *loc. cit. num. 67.* & plures alii à me citati, *quest. 534. num. 2.* fundamentum est, quod hæc potestas uniendi sit jurisdictionis Episcopalis, & quidem necessaria; eò quod non nisi urgente necessitate ecclesiæ, vel evidente utilitate faciendâ unio, neque sit ex casibus in jure exceptis. De cetero etiam secundum hanc sententiam, sicut Episcopus, ita etiam Capitulum unire nequit ecclesias exemptas. Negativa sententiæ, quam tenent Lotter. *l. 1. quest. 28. num. 141.* Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p. 3. q. 3. à n. 17.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. qu. 9.* Cuchus *instit. mor. l. 2. tit. 9. n. 87.* Hojed. *de incompar. benef. p. 2. c. 3. n. 7.* fundamentum est, quod etsi unire beneficia sit jurisdictionis Episcopalis, sit tamen de reservatis Episcopo, impli-